✠

BOETICO-SERAPHICA HISPALENSIS EPARCHIA MINORITICI ISRAEL

MEMORATA, CONVOCATA, CONGESTA IN CANTICO CELEBERRIMO MOYSIS,

VELUT NOVA HÆREDITAS CIRCUMCINCTA FUNICULO SERAPHICI VULNERATI JACOB.

STEMMATE CHRISTI MANIBUS AD COLUMNAM LIGATIS, dignoscitur numerosa colona hoc in Cantico Cygni, inter frondosas longè pulcherrima sylvas Seraphici Orbis, supera, nemorosa Zacinthos expressa, velut omine supero vaticinio Balaam.

SICUT ISTE FUIT INTUITUS IPSAM VALLIBUS, & hortis juxta fluvios irriguis: sic erigitur, non verticibus altis; sed quatuor selectissimis vallibus, totidem quasi montibus cinctis Oratoribus Sacris, qui quatuor floricomis matutinis œncomiis ipsis inerunt anadema mirandum.

DEPINGITUR INSUPER UNICO FOECUNDISSIMO FONTE, aqua sapientiæ velut fluviis pleno, cui tres rivuli consecrantur ejusdem. Ac demum duobus mirabilibus hortis venustis floribus, & arbustis robustis; quod Triclinium custodiendum, colendum, traditur peritissimis viris tribus, scilicet, Jubilatis Magistris, queis Nemeam vincet pulchritudine Sylvam, atque cuncta hæreditas Elysios erit supereminens campos.

SIC VIDEBITUR VIRIDANTE DECORE IN MAGNO Regali Hispalensi Cœnobio, aura Spiritus inspirante Cœlestis, hinc inde discurrentibus foliis, plexis ramis velut *utraque unum*, Eparchum dignissimum eligendum expectans, floribus coronandum Sponsum; & stadio Minervali designans studio legitimè concertantibus serta à die 18. usque ad 21. mensis Junii anni Domini 1751.

BOETICO-SERAPHICI PROVINCIALIS CONGRESSUS compendiosa descriptio.

Ex Cant. Moys. Deut. Cap. 32. Audite Cæli quæ loquor audiat terra, &c.

NON velut Orpheus in Hæmonia fretus, fidibusve canoris, nec ut olim Olympius Mysius pulsandæ citharæ legum captus affectu; sed Domini legum solum amore raptus, tanquam Cygnus moriturus accedens, memoriam fecit in hoc Cantico, Moyses, de electione filiorum Israël. (1) En apposite memoratur electio filiorum vulnerati Jacob S. S. P. Francisci, qui Israelita verus Domini factus, & Minoris Israel supereminens caput, vel nomine Jacob, vel cum nomine Israel nuncupari meretur, dum apprimè cum Jacob comparatur, (2) qui hoc nomen transmutavit in Israel. (3) Sed en Moyses sic alloquitur clariùs: *concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam.* Num Minores desuper? Utique: dum in imbre doctrinæ sermonem fecit de Subtili doctrina, seu de pluvia Subtili, (4) quæ Minorum velut irrigat arva. Ad hæc invitat viridantia nimis, tam Cœlum quam terram, seu Prælatos, & subditos, (5) ut hilari suo delectentur aspectu, floribus, & arbustis robustis, Divini Spiritus aspersione roratis, aura ipsius suavi hinc inde discurrentibus foliis, nomen Domini invocans, dum sic vertitur aliter: *Vos voco in nomine Domini.* (6) *Vos*, ait. Quos hodie de Minoribus vocat? Unam solam Eparchiam Bœtico-Minoriticam, scilicet, quæ *pars Domini populus ejus, & Jacob funiculus hæreditatis ejus*, infallibili signo monstratur Seraph sui Jacob circumcincta funiculo, colligenda sub illo, atque meritis dividenda per ipsum in Magno Regali Hispalensi Cœnobio in Prælatos, subditos, dignitates, & prœmia, juxta numerum filiorum ipsius, uti Canticum innuit. Precipuus autem, circa quem collimabit scopus, dignissimus erit eligendus Eparchus, ut *ex millibus unum*, qui propere regat, & ut alter Apollo fœliciter moderetur in cunctis, omnibus velut omnia factus, Christo Duce ducente manibus ad columnam ligatis. En sigillum Provinciæ nostræ, quod ita designatur à Moyse: *Dominus solus Dux* (7) per columnam. Tanto Duce protecta, & columna munita, detegitur pervenusta colona, veluti Paradisus hæreditas, vallibus, & hortis juxta fluvios irriguis, sicut ipsam admiratus est Balaam, quem Spiritus cœlo dilapsus, compulit benedicere ita: *quam pulchra tabernacu-*

 la

la tua Jacob, & tentoria tua Israel! Ut valles nemerosæ, quasi horti juxta fluvios irrigui. (8) Plus ultra hic comparat, sed pro populo cunctoloquatur: quia nostra hæreditas componetur ex dictis. Leva igitur oculos tuos, & inspicere incipe, videbis in ipsa tabernacula quatuor, festa, scilicet; & tentoria tria, tot, videlicet, Minervalibus pugnis; nec plus ultra, nec minus. Tabernacula quatuor, seu festa, designantur tot in vallibus sita: nam vallis cum valle, convallis tabernaculorum metienda, dixit Regius Vates: *convallem tabernaculorum metibor.* (9) Pro his, quatuor deputantur cultores, Oratores celebres oratione decompta, ornatas fundentes claro pectore voces floribus eloquentiæ suæ, pro numinibus celebrandis in ipsis; ad quorum calcem nomina reponentur illorum. In tentoriis autem, horti, & fluvii collocandi supersunt. Unde inspice ultra, & miraberis fontem Hortorum tribus fluviis irrigantem perenniter, dum totidem rivuli revertuntur ad ipsum ut sapientiæ fontem; ut iterum effluant fœcundiores effecti, aqua sapientiæ salutaris ditati. Leva iterum oculos tuos, intueberis hortum consitum speciosis olivis, atque situm super montem istarum, tribus sacris oleis minervalibus pulchrum. Et ad ultimum usque deveniens, hortum Regis invenies floridissimum, fortem, ferentem tres itidem sacros flores Minervæ; pro quorum custodia cataphracti peritissimi viri designantur infine, ut intonsi delectent, animos allicientes exculti, dum Cœlum & terra, quæ vocantur à Moyse, pulchritudinem inspectura venientes, enarrent gloriam Dei in ipsis per sæcula sæculorum.

Amen.

(1) Hay. (2) Francil. (3) Gen. 35. ℣. 10. (4) Cayet. (5) Corn. (6) Arab. (7) Menoch. (8) Num. 24. ℣. 5. & 6. (9) Psalm. 59. ℣. 8.

PRIMA

Vallis Aser.

VALLIS HÆC VALLIS PINGUIS DICITUR, gaudet enim feracissimo solo. In ipsa tota Tribus Jacob benedictionis virtutem spectata, putatur. (Adric.)

BEATISSIMA VIRGO MARIA

FOELIX IN PRIMO CONCEPTIONIS INSTANTI designatur in ista: nam Aser interpretatur beatitudo, & fœlicitas. En divina selectissima Vallis, quæ descendens humilis usque ad imum abissi, ima summis jungens, & terrena divinis, summum extitit & Empireum tangens, ab æterno Domini nemorosa possessio in initio viarum suarum. Hinc progerminat Helycone superior, Cytherone præstantior Cœli Hercynia floridissima sylva in solo Sole supereminens omnes, dum caligine salva. Quid funesta Atropos hac in valle pæripuit, dum flores, & ramos in origine tondens? Haud in ipsa totondit, nec florem, nec levem in origine ramum, Sylvano præservante Divino, qui fecit potentiam in brachio suo; ut in ipsa lignum vitæ plantatum, vivida poma ferens, vitam mundo donaret, cum morsus lethalis vetiti fructus ligni vitam abstulit mundo. Unde maledictione soluta, fuit in ista benedictio data. Bernardi Torrentis fistula dulcis ita:

Dulcia priscorum fecisti poma Parentum;
Tregisti Ditis vincula magni feri.
Attulerat miseris lethum mortalibus Eva;
Tu natis vitam reddis in Orbe tuis.

Hæc est vallis, quæ Hesperidum hortum, pomis aureis fictum; exsuperat, cunctis aureis fructibus, procul ipsa figmentum: nam Regina hæc à dextris Sponsi astitit deaurato vestitu, varietate circundata. En Vallis lætabunda deserta, quia solummodo Deo dicata; quæ lætatur ut invia, sita in via viridante salutis, quæ nescita vestigiis callidissimi colubris, incolumis ab aconito ejus, solitudo tota pulchra florescens, quasi lilium germinare videtur, campi præventa germinatura florem, & lilium convallium candidissimum Jesum. En dilectus in ipsa, vinea ipsa verè facta dilecto, dum etiam dilectus vera vitis ipsius, quo vallis velut ager evasit, de quo Dominus dixit: *& pulchritudo agri mecum est.* Hanc petens hæc Provincia nostra; libans in illa thura sacra Sabæa festivitate

SECUNDA VALLIS BOETICO-SERAPHICÆ HÆREDITATIS
Vallis Baaras.

IN ISTA VIDETUR RADIX QUÆDAM ADMIRANDÆ virtutis, nocte fulgurans instar flammæ lucentis; non avellitur, nisi cane ligato, estque sita sorte Tribus Ruben, qui interpretatur velut filium videns. (Joseph)

CHERUBICUS P. N. DOMINICUS

PROCERÆ PRÆCLARISSIMÆ ARBORIS Guzmanorum familiæ signatur radix ex hac valle vellenda, haud ad radicem posita securi; sed ad hæresum divellendas radices uti securis posita: quarum in nocte nitidissimè fulgens, in canis ore velut facula ardens horrorem caliginis propulsura per Orbem, fuit ominata Matri.

PLUSQUAM ASBESTOS STELLATUS ELUCENS in magnifico Veneris fano, radix hæc stellata reluxit in Auroræ mirifico sinu: nam lucidus Lucifer admiratur Auroræ Sacratissimæ Virginis, cujus atria rubescentia rosis, seu rosario sacro, stellæ difugiunt, Dominicanæ cunctæ, dum Dominicus Nuncius oriens, harum agmina cogit. Pro quo vertitur Naso:

Ecce vigil nitido patefecit ab ortu
Purpureas Aurora faces, & plena rosarum
Atria difugiunt stellæ, quarum agmina cogit
Lucifer, & Cœli statione novissimus exit.

Hæc cum sydere radix, canis equidem admirandus est cunctis, Erigone præstantior: nam Dominicus velut Domini-Custos, atque Domini canis, nec catulus lucem expectaturus exit; sed ut Phosphorus emicans expectandus in lucem.

Ita rem comprobavit eventus, *Urbis*, & *orbis* ut miraculum factus, dum Apostolorum in Ecclesia Romæ flexo poplite orans, ignivoma lingua, desuper, supra caput ipsius Sanctum extitit flamen emissum; quocum dono decoratus linguarum, in spiritu oris ejus omnis virtus Spiritus, Elias alius quasi ignis surrexit, & verba ipsius quasi facula ardebant, cum fructu operum proferens divinæ sapientiæ verba.

Unanimis animis tanta luce perfusis, hæc Provincia nostra dignissimum sperat eligendum Eparchum:

TERTIA VALLIS BOETICO-SERAPHICÆ HÆREDITATIS
Vallis Cedron.

VALLIS HÆC LATA, PROFUNDA, ET TENEBROSA, in modum fossæ templum circumiens, & in mortarii similitudinem disposita, locus erat, in quo mercatores, & omnis generis negotiatores habitabant.

SERAPHICUS P. N. FRANCISCUS

DESIGNATUR IN ISTA: NAMQUE NIMIA LATITUDINE cordis ut pote longitudini æqua mandatum assumpsit latum Domini nimis, sinuque coæquali conclusit. Quis metas latifundii tanti poterit mensurare fideliter? Deest gnoma sub Sole, quia sub Cœlo nemo, nec fœlicior, nec nobilior solo.

QUIS HUMILITATIS ABYSSI PROFUNDISSIMÆ EJUS poterit dimetiri profundum? Incarnata Sapientia solùm, quæ sola profundum penetravit abyssi. Hæc in aere Seraph instar crucis est dimensa figura: nam In modum fossæ templum corporis ejus quina plaga confectum, denarium in hac valle perfecit, in ipsa suo geminato quinatio, quod equidem uti signum reliquit pro mensuræ memoria, quocum sic mensura mensurato respondet;

Vulnera quinque tulit Salvator stipite fixus;
Franciscus noster vulnera quinque tulit.
En manus, atque pedes clavis Christi acribus horrent;
Francisci clavis en manus atque pedes.

Ecce vallis tenebrosa Franciscus, namque Seraph crucifixus apparens, factæ fuerunt tenebræ super corporis terram, dum dulci deliquio Dominici liquefactus amoris non fuit secum lumen oculorum suorum, in Christo sperans crucifixus in terra, in ista vivere velut Christus expirans. En simillimum exeunti de vita tanto Numini Numen, Franciscus vivens, faustum omen inveniens, in quo defuit lumen. Quid plus ultra hac in valle videndum? Vas admirabile opus excelsi mortarii instar non plus ultra mirandum, inquo Aquila grandis magnarum alarum ut in urbe negotiantium posuit cedri vitæ medullam omnigena florum varietate virtutum, ut vallis prodesset pro salutis negotio miris formandis miropoliis apta. In hac videbitur hæc Eparchia nostra jubilans, lætabunda, & laudans floribus neonatis abundans, electione peracta.

Hanc lætitiam velut gemino plausu, voce diu jam sparsa per auras, gratiarum debita personabit actione P. F. EMMANUEL CAZARES, Ex-Lector Philosophiæ, & in Lycæo D. Bonaventuræ de Propaganda-Fide studentium Magister.

QUAR-

QUARTA VALLIS BOETICO-SERAPHICÆ HÆREDITATIS
Vallis Cadaverum.

HÆC, QUÆ SITA EST (ADRICOM. TEST.) INTER Calvariæ montem, & Hierusalem mœnia diu habuit absconsum lignum triumphale Crucis, quo, cum esset super ipsam elatum, Christus contulit œgrotanti salutem.

HIC ROBUSTUM BUSTUM MAUSOLEUM MAGNIFICUM
EXCELLENTISSIM. D. D.
MARCHIONUM DE AYAMONTE

BOETICÆ FRANCISCANÆ PROVINCIÆ P. P. INSIGNIUM velut situm inter montem Calvariæ, & Hierusalem mœnia inter Christum, scilicet, ligno Crucis appensum, & mœnia magnæ Domus Seraphicæ designatur apposité. Sed cur hic, & non alibi? Quia hanc juxta nobilissimam vallem haud adfuit locus alicui mali nominis homini, sed homini boni nominis cuique: nam quicumque legitimi thori, Ortodoxæque Fidei, atque nobiles, quodam ritu peracto, exibant nobiliores ex ipsa, Equestris Ordinis milites instituti, qui Aurati Equites (Adricom inquit) nuncupari solebant. En insigne unum inclytæ domus P. P. N. N. nam stemmate isto, & plus ultra aliis tanti fuerunt insigniti Magnates, ab origine non plus ultra Magnatum. Unde in vita ipsis si non clarior ullus, nunc quomodò magis nobilitentur audi Ovid. funebri hoc idem modulantem habena.

Thura sacerdotes pacalibus addite flammis,
Albaque perfusa victima fronte cadat:
Utque domus, quæ præstat eam cum pace perenniet,
Ad pia propensum vota rogate Deum.

En falsis diis verba facta Nalonis, vero Deo nostra facit Eparchia, ut pacem impetret Tutelarium suorum, quorum pietates nunquam ipsi defuerunt, benefici semper illi præstantes, præstantibus sibimet beneficiis, quibus nunquam memoria fessa, in æterna memoria erunt tanquam ærea lamina fixa: Unde in thesseram gratitudinis tantæ tumulum elevabit intestem; thura libans devota vota domino reddens, sacrificia peragens in hac valle tota cincta cupressu, pro tantis cedris jam subteractis humo, ut ad montem Sionis æterni cypressi conscendant renaturi fœliciter hac in ultima die Provincialis Congressus, in qua fines suos posuit Dominus pacem.

Quasi oliva pullulans ipsam ore portabit viridantibus eloquentiæ ramis P. F. MICHAEL OLIVER, Ex-Lector Philosophiæ, & Predicator Conventualis in Conventu Hispalensi del Valle.

FONS HORTORUM.

MAGNO IMPETU SCATET, ATQUE BREVI IN SPATIO auctus, cursu velocem supercrescit in fluvium. Præter aliquot rivos minores tribus magnis omnes irrigat hortos: ex quo nomen uti Numen accipiens, ad ultimum mare magnum ingreditur.

BEATISSIMA VIRGO MARIA

IN PRIMO CONCEPTIONIS INSTANTI SINE LABE resplendens fons est iste perennis, qui de Libano trahens originem, in origine candidus, sine lapsu dilabitur nævi, obstrepens emanantibus lymphis candidioribus nive: namque Libanus *candidatio dicitur*. Eliciens admirabiles elices rigantes hortos militantis Ecclesiæ, Elysios facit supervincere campos.

EN FONS ILLIMIS ELIMINANS IN INITIO LIMUM: quippe quàm priùs Tartareæ enhydris fœdaretur incursu, totius Triadis epistomio clausus; ut haud esset nec in limine lacus, ubi solùm fuit Triadi locus. Quid Pactolus pulchritudinem jactat? Quid delicias Phasis? En fons Eridanus affluentibus gratiis in origine Princeps, cujus impetu profluentibus undis Lucifer in Stygias præceps. Fons denique Entheus sic superans omnes entelechia currens, ut phronesim evomat ipso pectore Dei cum deliciis saliens.

ECCE FONS IN ORIGINE PARVUS, qui erevit in fluvium tribus fluviis magnum, maximum admirandum in tribus: in gratia longum, in gloria latum, & in deitate profundum: cui, si velis, ità dicere vales: si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, ecce æqualia manent: namque petens Triadis mare magnum Maria, *flumen Dei repletum est aquis*. Hinc erumpens, ut de fonte nativo, quasi trames aquæ immensæ de fluvio, inspicitur quasi immensus in undis, quocum despicit majus, & minus, atque remanet totus æqualis.

Huic ergo Sacratissimo Fonti, seu N. O. Venerandæ Patronæ ex Libano gloriæ prodeunti perenniter tribus fluviis magnis, totidem Theosophicos rivulos ex fonte exeuntes N.S.M.D. hæc Provincia nostra D.O.S. ut iterum fluant revertentes ex ipso dulcisonis delectantibus undis, aqua sapientiæ salutaris ditati.

HORTORUM FONTIS TRES RIVULI RECENSENTUR SAPIENTIÆ.

I.

OCULI *ejus ſicut columba ſuper rivulos aquarum* (ajebat in Canticis Beatiſsima Virgo) In oculis (atteſt. Cornel.) eſt ſymbolum vigilantiæ divinæ, & eximiæ providentiæ ejus ; quæ taliter favit Bæatiſsimæ Virgini, ut firmiſsimè propugnemus pro ipſa, quòd *ex vi preſentis decreti, attento primario Incarnationis motivo, exiſteret Virgo Deipara, nedum primo non peccante Parente; verum etiamſi nulla adhuc alia creatura darentur.*

II. RIVULUS.

QUIN ſit diſſonum Scripturæ Sacratæ ; neque S. S. P. P. Bæatiſsima Virgo poteſt caput Angelorum vocari, Prædeſtinatorum, & primorum Parentum, atque denique omnium fidelium, ſecundumquid ſaltem, locutione deſumpta, quamvis ſecundariò, & à Filii meritis dependenter, ex virtutiſque exuberantia ejus, quocum finis creaturarum eſt prædefinita.

III. RIVULUS.

PRÆDESTINATIO Chriſti Matris ad gloriam eſt prior prædeſtinatione Angelorum, & hominum ; ſed ipſius in Matrem prædeſtinatione poſterior : quare ad decretum Virginis electivum in Matrem, ſequitur, ipſi gloriam decernere in eo ſummo gradu, quòd ejus altiſsimæ dignitati conveniat.

De torrentibus rivulorum iſtorum, ut de fonte Salvatoris eximio ſubtiliſsimo ingenio ſuo claras hauriet aquas P. F. ILDEPHONSUS BARRERA, *Artium Magiſter in Magno Hiſpalenſi Cœnobio, adjutus invincibili robore* R. P. F. BLASII DE ROBLES, *Sacra Sophia Jubilati Magiſtri. Die* 18. (Veſperè.)

HORTUS OLIVETI.

HIC CONSITUS SPECIOSIS OLIVIS, IN MONTE OLIVETI situs, adhærens cuidam concavæ petræ, fuit locus, in quo Christus oravit. Super ipsum olim quædam erat Ecclesia, quæ demonstratur adhuc. (Adricom.)

QUID IN IPSO SIGNATUR?

SIGNATUR APPRIME MINERVALE DELICIUM: *mirata est oleas sæpè Minervâ suas.* Non profanum fanum, sed sacratum delubrum, in quo ex ore Altissimi, quæ Minervá prodivit, tot delicias velut oculis hausit, ut in isto, pro Seraphico Orbe, quo Patrem postularet, inspiciens domicilium pulchrum, ita videtur exorasse pro ipso, cum ipsa pro Petro sic exoravit Patrem: *ego rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua.*

EN PRÆSUL UT PETRUS DESIGNATUM DELICIUM

Vir in horto virens, omnibus quasi numeris ortus, cujus animi probitas comprobat claritatem ingenii, dum Eliæ velut zelo d tatur, ut Seraph charitate non ficta, modestia Cato, veritate Pomponius, altitudine scientiæ Olympus, cujus lemmate collaudari meretur: *nubes excedit, & æthera tranat.*

QUIS EST HIC, PLUS LAUDABIMUS EUM?

Scandite montem, atque petite petram, ad quam hortus adhæret, invenietis lapidem angularem, probatum, MOLI-NAtum magna, molli natura notum, Ecclesiæ caput anguli factum, cum horto faciente *velut utraque unum* ipso summo angulari lapide Christo Jesu

R.MUM P.N.F.PETRUM JOANN.DE MOLINA

In Regia Synodo pro Immaculata Conceptione deputatum Theologum, & totius S.O. dignissimum Generalem Ministrum, qui dum Princeps constitutus à Domino super populum illum, constituit eum Dominus super excelsam terram, super hortum, scilicet, consitum frondosissimis oleis, concavam adhærentem ad petram, ut sugeret mel de ipsa, molli natura bonis, & oleum de saxo durissimo velut natura malis. En justitia ipsius, quia jus utrumque peritissimè callens, in utroque nitidissimum jubar; plus ultra se elevans, levans se supra se Theosophiæ fulgentissimum sydus, rostri decor; in eloquio Tullius, altissimæ paupertatis Amasius, & pro nostræ Religionis honore vigilantior Argos. En hortus excultus, en lapis unus oculatus in horto, super quem septem oculos jactat hæc Eparchia nostra, ut in sinu ejus quasi in tuto locata, facta sit, quasi pacem reperiens, in ejus olivis signum pacis sperans.

Huic ergo frondosissimo horto, in signum filialis amoris, istas tres viridantes olivas ex amœno viridario depromptas N. S. M. D. hæc Provinica nostra. D.O.S.

HORTI OLIVETI TRES SACRÆ MINERVÆ NUMERANTUR OLIVÆ.

I.

INVETERATUS oleæ truncus recentem surculum prope radices generans, sic epigraphen tenet: *moriens reviviscit*. Hoc innuitur renovatio hominis (Piscin. test.) dum ipse mortuus, perpetrato peccato per gratiam reviviscit sponte, sicut ex Trident. habetur Sess. 6. cap. 4. *Justificatio non est solum peccatorum remissio*; sed & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Quo de fide tenetur, Deum de facto minimè condonare peccatum, quin infundat, & gratiam. Hinc:

II. MINERVALIS OLIVA.

peccati

EXPULSIO [illegible] non est effectus physicus formalis gratiæ secundum se, & in esse physico consideratæ; sed tantummodò effectus moralis, quatenus gratia, ex institutione divina, habet sibi connexam remissionem peccati. Quare juxta mentem N. S. M. D. gratia in esse physico, & secundum quod qualitas physica est, potest stare cum peccato mortali, & attenta Dei absoluta potentia, conservari cum illo, infundique actualiter peccatori peccanti, supposita adhuc lege Dei positiva vetante peccatum mortale sub pœna damnationis æternæ.

III. MINERVALIS OLIVA.

OMNES effectus positivos, quos gratia de facto homini in ejus justificatione tribuit, potest Deus, de potentia absoluta, homini tribuere per solam ejus extrinsecam acceptationem absque aliquo dono intrinseco actuali, vel habituali, idemque dicimus de effectu privativo gratiæ, qualis est expulsio peccati. Ad quam doctrinam consequenter asserimus, quod *potest Deus, absoluta potentia, quin gratiam infundat condonare peccatum.*

Istas tres viridantes olivas, omen, & nomen velut oleum fundens subtilitate sua, sedulus colet, & tutabit eximiè P. F. VINCENTIUS SORIANO; *Artium Magister in Cœnobio Gadium; cui præstabit in defessum auxilium* R. P. F. NICOLAUS POMBO, *Lector Sacræ Theologiæ Jubilatus, & in lycæo D. Bonav. Meritissimus Regens. Die* 19. (Vesperè.)

HOR-

HORTUS REGIS.

HORTIS REGIIS COPULATUR HIC HORTUS, ET PROPE Hierusalem (ex Cornel.) situs, Oza etiam appellari consuescit.

QUID SIBI VULT OZA?

Oza sibi fortitudinem vendicat, quocum aciem oculorum inflecte in ipsius viridantes stirpes, & tutatas undequaque reperies fortitudine regia. Sed quæ regia fortitudo munimen, tegimenque detegitur, cui sit Oza velut nomen encomium? Fortitudo Patronorum N.N. tot fulcita militaribus laureis, trophæis, insignibus, stemmatibus, palmis, atque denique propugnaculis tantis ita prementibus arithmeticas notas, ut vix possis numerare, si velis, neque valeas invenire majora.

EN ARBUSTA REGIA

Robusta fortitudine nimia, quorum pulchri flores minimè venustate nudati ventitantibus Circiis; sed in fructus honoris prosperati fœliciter permontantibus auris. Quid licet insurgat, vel invidia gelida æmulave glacies, aut violentior infremitibus Æolus? *Folia eorum non defluent, & omnia quæcumque facient* semper *prosperabuntur*. Sic utinam prosperentur fœliciter stirpes inclytæ, propugnaculis tantis, propugnacula nostra

EXC.D.D. ANNA NICOLASA DE GUZMAN,

DAVILA, ROXAS, MANRIQUE DE ZUñIGA, FERNANDEZ de Cordoba, Marchionissa de Astorga, de Velada, San Roman, Ayamonte, & Villamanrique, Comitissa de Saltes, Cantada, S. Martha, Villalobos, & Nieva, Domina de Bellotoro, &c.

ET EXCELLENTISSIMUS D. D.

BONAVENTURA OSSORIO DE MOSCOSO

PHELIPEZ DE GUZMAN, DAVILA, ROXAS, HURTADO de Mendoza, Fernandez de Cordoba, Comes de Altamira, Marchio de Legones, Dux de Sanlucar la Mayor, Princeps de Arazena, Dominus septem Villarum de Campos, &c. Bœtico-Seraphicæ Hispalensis Eparchiæ Illustres Patroni, honor, virtus, fortitudo, præsidium, ac denique dulce decus ipsius, sub quorum ramis, velut umbra protecta, sub umbra illorum, quos desiderat sedet, & fructus illorum dulces gutturi suo prognati ex ramis, ex radicibus validissimis natis. Quæ tan iclytæ demirandæ radices? Comites, Marchiones, & Duces, Præsules, Legati, Gubernatores Regni, & si plus ultra radices per antiquas rimeris, Reges reperies per antiquas radices. En floridus hortus, fortitudine Regia tutus, Oza Regiis copulatus evadit anademate cinctus. Unde: Ut huic Dominus benedicat coronæ benignitatis cum Provincia nostra, in thesseram gratitudinis, ista, hos tres flores floridissimi horti N.S.M.D. ipsorum horto D.O.S.

TRES

TRES FLORES HORTI REGIS PONUNTUR.

I. FLOS.

FLORES *apparuerunt in terra nostra.* Hoc à Protoparentibus nostris non incongruè quasi dictum videtur, dum in voluptatis Paradisso locati: *anima eorum, velut hortus irriguus* originalis imbre gratiæ pulchræ, & quia hoc perditum per peccatum ab ipsis, uti *tempus putationis advenit* per originalem injustitiam illorum in posteros ex vi pacti traductam, sicut inquit Apost. ad Rom. 5. *per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi.* Quocum dogma derelinquitur fidei, quidquid dicat Pelagius.

II. FLOS.

PER originem hoc peccatum traducitur, non physica aliqua qualitate, qua virtute seminis, & generationis oriatur; sed indirecta resultantia tantum, quatenus naturali generatione producitur homo, qui sit filius Adami, atque membrum ipsius: ex quo provenit, quòd cum nascitur homo, sit justitia originali privatus. Unde in primo conceptionis instanti, in quo anima corpori unitur, in matris adhuc utero clausus, tunc contrahit incunctanter peccatum: nam ex tunc jam concipitur homo, ut formaliter filius Adæ, & ut hujus verum capitis membrum.

III. FLOS.

CIRCA essentiam memorati peccati diversimode delirarunt hæretici, Lutherus, Calvinus, & Mathias Illyricus; sed falsis ipsorum derelictis erroribus, extat adhuc celeberrima quæstio inter Theologos, & D.D. Catholicos, in quo consistat originalis culpa? Ad quod firmiter, & conformes loquendo firmis principiis N.S.M.D. & constanter asserimus: *peccatum nostrum originale consistere in privatione habitualis rectitudinis debitæ inesse actui Adæ causata per modum termini, ex actu secundo Adæ in nos per generationem transfusa.*

Hos tres flores à frigoribus nivis, & furentibus Notis omnivi præservabit eximiè P.F. JOANNES VIAÑA *in Conventu Arundensi Scholasticorum Magister; cui umbraculum erit ab æstu* P.F. EMMANUEL DE ALDANA *in Collegio D. Bonaventuræ Lector Jubilatus Hispalensis. Die* 20. (Vespere.)

HISPALI: Ex Typ. Offic. JOSEPHI PADRINO, in vico Genuensi.